

RECTOR ET PROFESSORES P.

ILLVSTRIS SCHOLAE BREMENSIS

AD EVNDAS EXEQVIAS

VIRI

MAGNIFICI, PRAENOBILISSIMI

ET CONSVLTISSIMI

HENRICI KÖHNEN

IVRISCONSVLTI EMINENTISSIMI

CONSVLIS

DE OMNI RE PVBLICA MERITISSIMI

AB ALIQVO TEMPORE EMERITI

NATI BREMAE D. XIX. SEPT. A. MDCXCII

DENATI IBIDEM DIE V. AVG. A. MDCCLXVIII

ÆTATIS A. LXXV. MENS. X. D. VI

IN DIEM VIII. AVG. INVITANT.

BREMAE,

TYP. VID. H. G. IANI ET DIDER. MEIER. ILL. GYMNASII TYPOGR.



L. S.

Canities provectæ ætatis animum cujuslibet bene morati afficit atque tacita reverentia implet. Innata et connata videtur ista occulta sensatio, ut tot aliæ, quarum causas speciales vix explicatius indicare licet, quasque idcirco, ad id quod humanum appellamus, referre solemus; unde prisce relationes de populis, qui humanitatem eousque ejurarint, ut erga senes se non solum indifferentes gererent, sed et illos male tractarent, ad *απιστα* relegare sollicitamur. Quod de Scythis quibusdam & Thracibus referunt, illos in itineribus imbecilles ac decrepitos deseruisse, expositos injuriis aëris et ferarum abs hominum ope destitutos et sibi relictos suæque forti, id vero nobis apparet eo magis absimile, quoniam apud barbaros, non minus feros ac olim isti erant hodie dum exempla nulla, et ne quidem in ferocibus brutis deprehendimus, tantæ inhumanitatis exempla aut vestigia, et quoniam rerum gnaris, qui historias cum judicio legunt, sive ad stateram experientiæ expendunt, satis constat, quam avide dubiæ de populis peregrinis relationes olim arreptæ sint et in litteras relatæ, ut suæ genti per disciplinas excultæ, eo majus decus ex detrimento famæ aliarum conciliarent historici. Socialis illius virtutis et humani affectus erga senes effectus, quorsum vertamus oculos, specimina sæpius illustria et quæ nos in admirationem rapiunt conspiciamus consulentes vero sensationem nostram dum experimur quas apud nos moveat cogitationes contemplatio canitiei, debilitatis sensuum corporis, hebetudinis visus, incessus propter ætatem, repentis, lenti et gravis, titubantium genuum, trementium artuum cum silicernio, deprehendimus communi huic generi humano affectui subesse rationes, quæ quamvis sentienti illum sæpe tectæ et occultæ maneant, tamen penitus introsipienti animorum humanorum recessus, patent. Hinc ubi decrepitudine graviter incumbit commiseratio propter afflictiones objectorum ex nostro genere in animo prævalet, & ne abjecte de eis sentiamus vetat. Præterea uti vitam pro ingenti beneficio reputamus, longævitatem pro maximo habemus, veneramur illud quod ipsi cupimus nobisque optamus, voti nostri & desiderii per alios viventes eis fruente reddimur memores; senectus enim desideratur, sed dum adest gravem experimur. Verum uti in his merus sensus operatur, humanus quidem, sæpe tamen obtusus, rationi suæ non desunt in eo partes, dum cernimus viros meritis de republica graves, senio graviores magis venerandos nobis reddi. In decrepito olitore ætatem ex causis communibus reveremur, verum in sene prudenti & de aliis diuturno tempore optime merito, exosculamur pie virtutum pretium, repræsentantes nobis grata memoria mentis dotes quibus emunit, judicium sanum longo rerum usu tubactum, labores exantlatos pro communi & publico bono, consilia salubria quibus alios tanto temporis spatio juvarat, & lucernæ imo Phosphori instar, aliis inserviundo consumtus est. Apud omnes bene moratas gentes, quæ virtutibus et meritis justum decernunt pretium, reverentia erga senes, ipsis officiis adnumeratur, quod ex præceptis de moribus in scriptis sapientum qui inter illas florere, nemini ignotum est. Ipsa a Deo ac coelitus manifestata religio in utriusque testamenti tabulis, incultat suis mandatis exercitium hujus officii, eoque simul adprobat instinctum humanitatis, quo in illud a natura ferimur. Tremendum judicem universi sedentem in tribunali, vates (Dan. VII. 9) sub imagine senis canitie reverendi sistit, dum appellat *antiquum dierum cujus capillus instar lane candidæ resplendescibat*. Salomo erudiens (Prov. XVI, 31) Juvenem Ebræum ut insisteret semitæ

a vero Deo T. O. M. patefactæ, quo evitaret devia falsi cultus, normam admiscet, *Corona superbe magnifica est canities; in via justitiæ invenietur*, illamque æque et adeo ornare testatur senem, ac robur juvenem (Cap. XX, 29). Relatum de anonymo legimus quod profectus Lacedæmonem, cum vidisset honorem quem juniores præstant senioribus dixerit, in sola Sparta expedit senescere. Non fraudandam esse hoc elogio Bremam dulcissimam patriam, docet funus ducendum MAGNIFICI CONSVLIS, cujus memoriæ hæc tabula dicata est. Is enim, venerationem prolixam quam meritis suis durantibus dignitatibus negotiosis, sibi apud omnes acquisiverat, retinuit & expertus est, postquam vires ab ætate frangi per-sentens, missionem a munere & nobile otium quæsvillet, honoratus omni modo a Patribus Conscrip-tis æque ac a civibus, merita ejus grata memoria recolentibus. Ut breviter commentemur de B. Consulibus laudabili vita, fati & laboribus quibus patriam juvit, initium facimus a nativitate & gente ejus clarissima. Lucem adspexit hic Bremæ Ao. MDCXCII d. 19. Septembr. Satus *Parente* Viro Magnifico WERNERO KÖHNEN Jcto Reipublicæ Consule Seniore, Ecclesiarum & Scholarum in agro Bremensi Patrono & Hospitalis ad S. Rembertum Provifore; *Matre* Matrona ex præcipuis ANNA VON ASCHEN *Avum* numerat Virum maxime Reverendum & Celeberrimum FRANCISCUM KÖHNEN, S. Th. D. ejus disciplinæ simul & Philosophiæ practicæ in ill. Lyceo nostro Professore; *Aviam* T. T. LUCIAM BAKEN, *Filiam* insignis Jcti & Senatoris ALBERTI BAKE, atque T. T. DOROTHEAE HOYER. *Proavum* Amplissimum Senatorem & templi Mariani Edilem WERNERUM KÖHNEN; *Proaviam* T. T. METTAM DREYER *natam* T. T. FRANCISCI DREYER atque ANNAE SCHV-MACHER. In gente *materna*, *Avus* erat inclytus Consul HENRICVS VON ASCHEN Jctus, *Avia* T. T. ANNA HOLLEN, *Filia* Amplissimi Senatoris JOHANNIS HOLLEN atque ANNÆ ABRA-HAMS; *Proavus* Amplissimus Senator HENRICVS VON ASCHEN, *Proavia* T. T. WOMMELIA HÜNEKEN, *nata* Spectatissimi Senioris GOTTFRIDI HÜNEKEN & T. T. METTÆ VON BO-BART. Nihil defuit curæ, a parentibus prudentiæ & pietatis laude conspicuis, impensæ in educatione erectæ indolis ad scientias frugis & virtutem. Emensus curricula classium pædagogii, in quod mature missus erat, & inter civēs ill. Gymnasii receptus, pendens ab ore clarissimorum illius temporis doctorum in variis disciplinis & jurisprudentia cujus erat consecraneus, *Havighorstii, Tilingii, Bootii & Rhedenii*, profecit ut A. MDCCXIII exterarum Academiis salutatum iret. Adiit primum almam Viadrinam, dein celeberrimam Lipsiensem, audivitque in illis Illustres Viros, utrumque *Henricum & Samuelem Coccejos, Mascovios, Rivinos & Trieros*, at quantos in Juris scientia! tot oracula quot nomina! isto cum successu, ut lauream Doctoralem potuerit ambire, quam impetravit in doctissima Lugduno Batava, defensa publice & absque Præside disputatione inaugurali, *de jure neutralium seu mediorum in bello inter amicos* die 6. Sept. A. MDCCXVII. Visis postea celebrioribus utriusque Belgii & Foederati & Austriaci civitatibus, imprimis vero altero supremorum Germaniæ Dicasteriorum, eo quod Wetslariæ floret, experientiæ augendæ causa, patriæ atque suis redditus est sospes & incolumis anno sequente MDCCXVIII. Sic bene præparatus, dotes suas explicare cepit, in civium commoda, illos juvando in negotiis forensibus, suis sive consiliis sive suscepto causarum patrocinio, dextre, expedite, summa cura & fidelitate, ut virum bonum decet. Comparavit sibi, hac insistens via, nominis celebritatem & encomium insignis juris peritiæ, quo Patres Conscrip-ti permoti fuerunt ut illum unanimibus suffragiis in suum ordinem cooptarent d. 5. Maji A. MDCCXL. Tunc in ordine Amplissimo de re omni publica civili & sacra oprime mereri cepit. Quibus laboribus id fuerit exsequutus, metiri licet ex numero & mole munerum atque curarum humeris ejus impositarum, præfectura rei militaris & vigiliarum urbicarum, cura aggerum reficiendorum. summa discrimina aliquoties minitantium, administratione prædiorum, quæ in exoleto stilo olim

bona spiritualia appellabantur & ad seculum rediisse dicebantur, Patronatu Ecclesiarum & scholarum in agro Bremensi, quibus si addatur ædilitiæ dignitas templi b. Virginis, procurationis rerum præcipuarum sacrarum æque ac civilium administratæ ab ipso dexterrime & summa cum laude complexum ingentem cernimus. Accessit culmen honoris in dignitate consulari delata ipsi Ao. MDCCLVI d. 27. Martii, quam sicut ipsum ornaret, ipse summo studio vicissim ornavit, ut encomium, quo nobilius nullum in vita civili invenitur, Patris Patriæ, communi Senatus & civium suffragio reportaret: Præfuit summo muneri, ut sedit ad gubernacula, usque quo ingravescente ætate vires corporis attererentur, per molestias exantlatas in rerum discriminibus ex nupero bello Germanico orientibus, quibus patria sic involvebatur ut ruinam sæpius minitaret, & Rectoribus ad clavum sedentibus, difficilia omnia pleraque vero molesta redderet. Hinc senii incommoda, pace licet reddita, sentiens, missionem a muneribus petens serio, oratus licet ne humeros subtraheret, sed inexorabilis, illam ægre licet attamen honorificentissime d. 13. Maji anni elapsi impetravit; Recreatus interim, quod cerneret in testimonium gratæ memoriæ meritorum suorum filium Virum Consultissimum in ipsius locum per concordia et unanimia suffragia, plaudente universa civitate, surrogatum esse. Lustravimus B. Consulibus vitam publicam; privatam & domesticam sic transegit, ut & inde materies reverentiæ erga ipsum ejusque memoriam enasceretur. Thorii sociam sibi junxit d. 2. Maji A. MDCCXIX virginem lectissimam GEBECCAM VON CAPPELN T. T. JOHANNIS VON CAPPELN J. V. D. & caesarum patroni, atque T. T. WOMMELIÆ VON ASCHEN *Filiam*, cum qua utriusque fortunæ socia vixit in annum 47mum ad diem usque 21 Octobr. A. MDCCLXVI quo viduabatur ejus obitu. Suscepit ex illa filios Primogenitum T. T. WERNERUM S. Theol. Candidatum natum d. 23 Febr. A. MDCCXX, cum *postgenito* d. 18 Julii A. MDCCXXI, Viro Amplissimo & Consultissimo HENRICO KÖHNEN, J. V. D. celebris famæ ante hac Advocato, nunc in Ordine Senatus, vacuum a missione honorificentissima Parentis uti monuimus locum supplente. Is felici connubio junctus d. 23 Novembr. A. MDCCXLV. cum præstantissima Virgine METTA GEBECCA SCHOENEN, *nata* perquam Magnifici & Inclyti Consulibus CHRISTIANI SCHOENE & T. T. GEBECCÆ COEPER ex quo b. Avus vidit neptem Ornatissimam Virginem GEBECCAM KÖHNEN, in lucem editam d. 8 Dec. A. MDCCXLVII. Virtus, Viri boni & conspicui memoriæ, vetat mori, aut in pulvere scribi. Existimatio quam vivus in senio expertus est, perstat & ad feros posteros propagatur. Amor Patriæ, quem tot documentis cum maxime in turbido rerum nostrarum statu, testatum fecit, molestiis minime levibus expositus, æquitas, comitas, consiliorum maturitas, religiosus Dei cultus, in quo exemplum prælucebat coetui cui erat adscriptus, quasi hæreditario jure, cum dignitate, quod rarum est, in ipsum transmissi, a civibus agniti & celebrati *Köhneorum nomen* venerabile reddet Bremensibus perpetuo, quorum omnium annorum, honorum ac meritorum, quod speramus, heredem summus bonorum & factorum diribitor esse jubet Amplissimum nunc Senatorem cognominem. Valetudo beati senis nostri, nullo notabili morbo, sed solum curis debilitata ex temporum diritate, sustentata in laudabili a laboribus publicis otio, impenso ad meditationem æternitatis, fracta est prorsus casu apoplectico d. 2 hujus mensis, quo tertio inde die ad æternas sedes translatus est. Reverentiam vestram erga senem meritissimum de omnibus, etiam de schola nostra, testabimini *Cives nostri*, funus ducendum hodie sub horam I. in templum Marianum frequentes & modeste comitando. Tu vero *Lector* sive sis juvenis, quem robur commendat, sive sis provectioris ætatis, quem canities per bene gesta ornat, memento *virorum bonorum nomen scribi in librum vitæ ac justorum* Vale.